



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Vitæ S. Ferdinandi, Regis Castellæ Et Legionis, Ejus
Nominis Tertii**

Papebrochius, Daniel


Antverpiæ, 1684

Stemma Genealogicum

urn:nbn:de:hbz:466:1-42333

STEMMA GENEALOGICVM

Regum Castellæ, Legionis, & Lusitaniæ.



Vides hic quomodo ab Alfonso VI, filio Ferdinandi Magni, procedant, hinc quidem Reges Castellæ ac Legionis per Urracam, ex primis cum Raymundo Comite Barcinonensi nuptiis (nihil enim huc faciunt secunda nuptia cum Alfonso Aragonio, nisi quatenus ex tali causa is inter Castellæ Reges numeratur VII) inde vero Reges Lusitania per Sanciam, Henrico Comiti Portugallia conjunctam. Vides præterea, quomodo Henricus puer Mafaldam Lusitanam in quinto dumtaxat gradu, Alfonso vero Legionensis Tarasiam Lusitanam in secundo, Berengariam Castellanam in tertio gradu coniungebat: atque hac ratione com-

modissime correctum manet, quidquid vel hic erratum est in Annot. b, vel ad 2 Maji ante Vitam B. Mafaldæ num. 5, confundente se memoria inter tot similia Regum consanguineorum nomina. Romanorum autem Pontificum severitas in dirimendis eorum conjugiiis, absque Apostolica Sedis dispensatione initis, neglectum potius illius petenda vindicabat, quam indicabat nullo unquam casu eam posse concedi. Habemus enim pro hoc ipso tempore evidens testimonium in contrarium, apud tunc viventem Continuatore[m] Ottonis Frisingensis, dictum Ottonem à S. Blasio, pro anno 1209, quo Innocentius III ad tollendum Imperii schisma, non solum indulgit, sed etiam præcepit

Ot-

Ottoni Saxoni, Regi Romanorum electo contra Philippum Suevum, ut acciperet in matrimonium ejusdem Philippi jam mortui filiam, quod alias sine Apostolicæ Sedis licentia fieri non licuit, cognatione impediente: nam pater Ottonis avunculus fuit Frederici patris Philippi. Est tamen etiam in tam evidenti utilitate Christianitatis totius cum hac cautela processum, ut in Comitibus Imperii, coram Legatis Apostolicis ea de causa Herbipoli celebratis, surgens Abbas Morimundensis, Ordinis Cisterciensis, & omnium Abbatum aliorumque; Claustralium utriusque Ordinis, Cluniacensis videlicet & Cisterciensis, personam assumens, delictum hoc connubio contra consuetudinem Ecclesiæ, quantumvis dispensatorie, committendum, monastico Ordini auctoritate Apostolica imposuerit, orationibus scilicet & pœnitentiis luendum: & nihilominus Regi propter hoc injunxerit pœnitentiam, ut monasteriorum aliarumque ecclesiarum pro posse defensor existeret, viduis & pupillis iusto iudicio præesset, monasteriumque Cisterciensis Ordinis in fundo proprio ædificaret, ac

post hæc in propria persona Ecclesiæ Hierosolymitanæ subveniret: quæ omnia Rex humiliter & gratanter implenda suscepit. Sciendum tamen quod defectus Pontificiæ dispensationis in istiusmodi casibus impediret quidem ne vinculum indissolubile contraheretur, non tamen censebatur officere legalitati liberorum, stante tali contubernio susceptorum, ad quoscumque; effectus juris civilis, consanguineorum nuptias extra primum gradum non prohibentis: adeoque nihil obest, quo minus S. Ferdinandus Rex legitimus fuerit, non solum Castellæ per matrem, sed etiam Legionis per patrem: qui ipsemet non alio jure regnavit, utpote natus ex consanguineis in tertio gradu, ideoque etiam separatis; prælatus tamen liberis, ex secundo thoro Ferdinandi II & Urracæ Lopez magis canonice natis. Præterea saltem Principissa ipsa excusabiles erant, & bona fide matrimonium contraxerant, cui nemo Episcoporum Regni sese opposuerat: & pleraque juniores erant, quam ut scrupulo sibi ducere possent conjunctionem parentibus probatam: solet autem etiam nunc tali in casu bona fides matrum suffragari proli ne notha censeatur.